

Dissertatione solenni medica cautelas nonnullas medico-politicas in praxi clinico-forensi observandas / ... subjiciet respondens Christ. Guilielmus Siegfried.

Contributors

Siegfried, Christian Wilhelm, 1703-
Coschwitz, Georg Daniel.
Universität Halle-Wittenberg.

Publication/Creation

Halae Magdeburgicae : Typis Joannis Christiani Hilligeri, [1726]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/jar9sv5x>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIONE SOLENNI MEDICA

8

AUTELAS NON- LLAS MEDICO-POLITICAS IN PRAXI CLINICO-FO- RENSI OBSERVANDAS

AD SISTENTE SUMMO NUMINE
CONSENTIENTE GRATIOSO MEDICORUM ORDINE

PRÆSIDE

JO. GEORGIO DANIEL COSCHWITZ,

DOCT. ANATOM. CHIRURG. ET BOTAN. IN ALMA FRIDERI-
PROFESS. PUBL. ORDIN.-ET POTENTISS. PORUSS. REGIS IN COMITA-
ANSFELDENS. ET APUD PALATINOS HALENS. PHYSICO MERITIS-
SIMO. ACAD. CÆSAR. LEOPOLD. NAT. CUR. COLLEGA
LONGE DIGNISSIMO,

PATRONO PRÆCEPTORE AC PROMOTORE SUO OMNI
OBSERVANTIAE GENERE PROSEQUENDO

PRO GRADU DOCTORIS ISQUE IN ARTE SALUTARI HONORIBUS INSIGNI- BUS AC PRIVILEGIIS MORE MAJORUM SOLENNI OBTINENDIS

Anno M DCC XXVI. D. Januar.

H. L. Q. C.

Publicæ ac Placidæ Eruditorum Disquisitioni subjiciet

AUCTOR RESPONDENS

CHRIST. GUILIELMUS SIEGFRIED.

SONDERSHUSANO-THURINGUS.

HALAE MAGDEBURGICAE,

Typis, IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.

СЛОВО ОДНОГО ЧЛЯРЯ



PROOEMIUM.



Non est, cur mireris for-
san L. B. argumenti huius diffi-
cultatem, a medico iuniori sus-
ceptam, quæ fortassis Practi-
cum veteranum & exercitatis-
simum postularet: & lubens
fateor, rei magnitudinem exi-
gere talem: verum enim vero, cum non tam fa-
cile mihi persuaderi patiar, Theoriā verā mul-
tum distare a Praxi medica (quippe speculativā
hic non intelligo, utpote spuriam) sic quoque ex
affidua librorum lectione, & virorum experien-
tiissimorum voce viva, praxin non spernendam ac-
quiri posse, non sine ratione existimo. Longus
enim annorum tractus non efficit medicum, nec
barba promissa, sed observationum diligens & ac-
cutata consideratio. Evidem nullus dubito, quin
propria observatio in praxi nos reddat firmiores,
& morbis curandis cordatiores: quicquid demum

horum sit nihil tamen medici iunioris auctoritati ac fidei de rogatur ex rationibus antea allatis. Hac igitur spe fretus, me pro virium mearum exilitate & modulo, de materia in praxi persæpe obvia cogitantem, certo certius veniam impetraturum fore arbitror, etiam si hoc in argumento minus sim exercitatus : accedit innocentissimus finis , nam profero , quæ potui, tantum ut videam, quid humeri ferant, quidque ferre recusent. Tantum enim abest, ut in hisce pagellis Cautelas Medico Politicas omnibus numeris absolutas me scripsisse, mihi temere præsumam, quippe quæ ab ingenii mei acie nullatenus erunt expectandæ, ut quædam potius speciminis loco, ad profectus explorandos in medium prolata, animo cernas, quæ, æqui bonique consulas, decenter rogito. Universam artem medicam duobus fulcris, ratione puta atque Experientia , esse superstructam, prudentiores medici omnes iamdudum scivere , & etiam num sciunt. Sane, non opus fore opinor, hic iusto esse prolixorem in recensendis huius asserti encomiis , hinc inde a Viris celeerrimis literarum monumentis consignatis, sed una tantum dissertatio (*) sub VIRRIS Gravissimi æque ac Experientissimi Dn. D. Schacheri, Præceptoris mei ea qua par est animi submissione ac reverentia æternum colendi , Præsidio habita omnium ad instar nobis esse potest, ad quam B. L. iam remittam ; ut ut autem unicuique felices in

(*) De recto Rationis atque Experientiae usu in Praxi clinico-forensi.

in arte salutari progressus facturo , hisce binis instruētum cruribus incedere, per quam sit neccssarium, alias enim alterutro horum deficiente valdopere claudicabit; sic eum quoque poenitentiam subire vix credo , qui rationis atque experientiae ductu, cautelas sibi politicas comparat, easdemque in Praxi clinico forensi non sine insigni adhibet utilitate: tunc enim medicum futurum , requisitis ex Galeni mente debit is ornatum, misericordem, pium, non adulatorem, nec nimis serium , & sic porro, in methodo medendi fore feliciorem, quis quæso inficias ibit ? & Scaliger medicum recte de scripsisse videtur, *quod vporteat esse virum doctum, probum, Deo fretum lenem diligentem, non sua vel scientia, vel successu felici tumidum, aut pecuniae deditum :* & Clarissimus Bohn. (*) his adhuc addit sensuum tam internorum quam externorum acumen, e. gr. oculorum aciem, dantur enim morbi non pauci, ad quos rite cognoscendos diiudicandosque oculus hebetior pervenire haud potest. Ne autem limites transgredi viderer , vela contraho , meque ad magis necessaria, pro virium debilitate enucleanda, accingo Deum autem T. O. M. ardendissimis imploro precibus, velit hunc qualem cunque conatum & reliqua mea studia gratiose dirigere ad sui Divini Nominis Gloriam proximique salutem; Te vero L. B. (si quis futurus) ! maxime rogatum cupio, velis hunc levem laborem, & ingenii mei primitias fereno adspicere vultu ; & si quid in hac

A 3

tra-

(*) *Desecration p. 134.*

tractatione fuerit omissum , vel minus accurate prolatum , illud tenuitati ingenii mei condonare, de reliquo autem , ne Iovem omnibus ac singulis placere, optime perspectum habeo.

I.

Quemquam ex sufficientibus rationibus superfluum reputarem , in antecessum vel Praxeos Clinico-Forensis , vel Cautelarum Medico Politicarum descriptionem, aut uberiorem definitionem præmittere , nihilo minus tamen, ut mori recepto ex aliqua parte satisfacerem, æquum iudicavi, ut generaliter Tituli Dissertationis rationem redderem. Hanc ob causam rem omnibus notam in memoriam revocare licebit : quod nempe Praxis medica , a multis retro annis, dispesci soleat, in clinicam , atque forensem : quarum illa circa ægrotantium lectis affixorum visitationem , curationem versatur ; hæc autem circa varia Medici officia, in Foro iuridico simul occurrentia , occupata est. Quæ ultima, quamvis more recepto , strictius Medicos officia publica gerentes, i. e. Physicos civitatum, aut provinciales, respiciat, non minus ita comparata est, ut sæpe sæpius a reliquis etiam Practicis , in officiis publicis nondum constitutis, exerceri debeat. Quapropter in præsenti utramque coniunxi, (licet de cætero unaquæque suis includatur limitibus, & sub certis respectibus separata maneat) tanquam in uno subiecto, Medico nempe concurrentem. Cum autem

autem nemini ignotum sit, Medicum ad felicitatem optatam in utraque obtinendam, principaliter quidem & primario instructum esse debere necessaria artis scientia, quam exercere cupit; verum hanc solam haud totum absolvere negotium, nisi in vita communi, & exercitio praxeos, prudens quoque accedat rerum variarum in vita communi occurrentium, pensatio, morumque secundum illas circumspecta applicatio: quo respectu Medicus se omnibus partim ut eruditum & peritum, partim ut conversatione dignum gratumque, & pro necessitate sese accommodantem, commendat: non extra oleas me vagaturum iudicavi, si cautelas quasdam animo ponderarem, atque proponerem, quarum observatione aliquis in praxi medica constitutus, felicitatis practicæ, si non summum fastigium, haud mediocre tamen punctum & gradum, sibi acquirere possit. Has Cautelas Medico-Politicæ ideo appellavi, quoniam ex dupli fundamento, ipsa nempe scientia medica, & politica vivendi ratione originem capiunt, & Medicum tam quoad ipsam artem exercendam, quam quoad politicam cum aliis conversandi rationem; commendatum reddere possunt. Quibus præmissis nunc ipsa principaliora argumenti propositi capita aggredior, singulasque circa singula, cautelas proximorum modulo enucleabo.

II.

Non paucos esse Medicos inter atque Chirurgos, graviter in renunciando hallucinantes, & ipse *Cautela in renuncian-
do.*

ipse insulsæ relationes , passim literarum monumentis consignatæ & quotidianæ Collegiorum publicorum quærelæ satis superque testantur. In præsentiarum me illum haud geram , qui vobis, Commilitones æstumatissimi ! methodum bene & docte renunciandi docere sibi præsumat , utpote quæ alios sublimioris exigit ingenii, quippe artem renunciatoriam omnium esse difficillimam , cum clariss. Ammano (*) affirmare nullus dubito, requiritur enim *κρίσις ανυπόκειτος & ασύγκειτος*; sed potius cautelas non nullas circa præclaram hanc artem in medium proferam , quibus pro lubitu cultiores ac politiores adiici possunt. Fundamenta autem huius artis quod attinet, iure meritoque ex Anatome , Physiologia, Pathologia, & ut omnia colligam, ex omnibus medicinæ pætibus deponi debere, firmiter credo, ideoque unusquisque tale munus in se suscipiens, has probe teneat perspectas cognitasque , vel me silente nemo non facili perspicit negotio. Hanc cognitionem excipiunt conscientia atque iudicium innuente Paræo (**) causus enim semper a se invicem probe sunt distinguendi , quippe alii medico cum chirurgo & iudicio forensi sunt comunes, alii proprii magis ad medicum solum spectant, v. gr. Affectus corporis interni , si quando renunciare debet practicus de gravitate partu legitimo vel illegitimo physice non moraliter considerato , de virginitate amissa , fascino,

(*) c. f. Medic. eius crit.

(**) in Tract. de renunciat. p. m. 653.

cino, aliisve pene infinitis, tunc subiectum & circumstantiae semper peracri ponderandæ veniunt iudicio, ne temere morbi graviores huc referantur, vel præmemorata horum loco ponantur, ideoque inspectione circumspecta, & examine brevi, eoque sufficienti & accurato, effata sunt facienda. Sic quoque medicus conscientiosus non movetur autoritatibus & præiudiciis aliorum in renunciando, nec præconceptis hypothesisibus; multo minus argutiis advocatorum, qui pro suo officio nil quicquam omittunt, quod ad defensionem facit reorum; neque exemplis hinc variis allatis, qui evasere simili, vel maiori labe, plaga, vulnera &c. probe secum reputans, distinguendos esse casus extraordinarios, insolitos, ab aliis, hi enim non constituunt axioma universale, ideoque ex rebus manifestis & circumstantiis obviis deponit. Senior medicus semper prævalere solet juniori in renunciando, utpote maioris sine dubio peritiæ, hæc autem ex fama prudentum, non plebeiorum, iudicanda: cum de reliquo iuniori eadem fides sit tribuenda, si modo reliqua requisita adscientiam, & conscientiam spectantia, non deficiant. Caute, circumspekte, & præmeditate omni tempore deponat medicus, quantum enim præfestinatae renunciationes, noceant, proh dolor! locuples testatur avtopsia: nihil igitur proferendum, quod non satis digna meditatio, iudiciique maturitas elaboraverit. Prolixitatem quoque evitet in deponendo medicus, nisi in controversiam causa rapiatur, per

necessè est; prius vero si contingat, renunciantem oportet esse cum in genere paratum ubique ad ulteriorem instantiam trespondere, tum si a parte contraria responsum desideretur, suam responsionem semel datam, vel illustrare, vel firmis argumentis corroborare. Non tam affirmative vel negative; verum cum rationibus dubitandi & decidendi, saltim præmeditate & simpliciter respondendum. Prævia sectione, præprimis particulari seu speciali, & circumstantiis ad punctum lethali-tatis, argumenta renunciationis debent esse strin-gentia, illativa, demonstrantia: De medico depo-nente, obstetricibus deponentibus, de renunciati-onum instrumentis, modo renunciandi & sic por-ro, plura legi merentur in Clariss. Bohnii Tract. de medici officio dupl., sequitur nunc nonnihil con-templemur practicum iuniorem, cum aliis Medicis in consultando.

III.

Cautela er-
ga alios Me-
dicos in con-
sultationi-
bus.

Per bene Iul. Cæsar Claudinus (*) de Con-sultationibus iudicat: *Consultandi munere, inquit, quemadmodum nullum inter omnia Medicorum officia est illustrius, utpote quo solo, a doctis medicis indocti discer-nuntur, nullum, quod maiorem ægris adferat utilita-tem; ita quoque nihil est in Medicina universa consultan-di methodo difficilius.* Nolo iam hic iusto scrupu-losius inquirere, quia consultationes sunt medico-rum conventus ad deliberandum de statu morbi, & medicamentis ægrotanti propinandis instituti, utrum

(*) in Lib. I. de ingressu ad infirm. Cap. IV.

utrum medicus iunior semper veterano, in iudiciis circa ægrotantes ferendis parere, & oraculo quasi delphico, cœcam adhibere debeat fidem, nec ne? præcipue, quia permultis pro autoritate hoc vel illud esse agendum, vel omittendum, & stare pro ratione voluntatem, est in consuetudine, quibus tamen e diametro contrariatur Hippocrates (*); & si practicus iunior paucula tantum ratione convictus, illorum consiliis addit, illico a sua versatili lingua, aut credulitate de se stolida hæc provenire, minus considerate adseritur. Sane me non latet, rem ipsam loqui in consultationibus, cum Viris rationem & experientiam ita coniungentibus, ut de illorum assertis, dubitandi parum vel nihil solidæ rationis succurrat, omnino tunc temporis nostrum esse palmam dare; cur autem omnibus ac singulis, annis tantum, minime vero experientia rationali provectis, medicis puto veteranis, silentiun quasi quinque annorum præstems, & iunioribus omnem in modeste contradicendi autoritatem denegare velimus, ut nihil dissimilem, causam non video satis aptam atque idoneam. Ne autem quis sibi inaniter persuadeat, ac si a me prolata, ex immaturo quodam in veterans fervore essent scripta, vel linguam, candescensem mentem præcurtisse, necessarium duxi, verba famigeratissimi Bohnii his adiicere (**). *Si cum iuniore inquit, & minoris adhuc famæ concurrat Senior ac cele-*

B 2

(*) in aph. VII. p. m. 6.

(**) de Consultationibus p. 112.

celebrior, quamvis ille, & ægri & veritatis magis amans sit, mentisque acumine, studiis & opere, hunc longe superet: hic opinione vulgi, & quod verbis suis, vel ut ab oraculo productis, undique credatur, nimis confusus, de iunioris rite ac perite peractis male sentit, & quasi inepte ac sinistre medelam hic hactenus administrarit, mordicus pandit. Quid quod? hæc tandem eruatae verba non erubescunt: Der gute Herr Doctor ist noch so jung, und dieser Krankheit nicht gewachsen; quasi vero eiusmodi senes morosi, ac difficiles essent peritiores prudentiores iunioribus, quod quidem optandum, & nullatenus quoque negandum, quando scilicet nobis res est cum viris supra memoratis; quid vero de his postremis, quos magis laude, fama ac arte senescere videbis, sentiendum, prudentioribus diiudicandum relinquo. Sed e diverticulo in viam revertamur. Quemadmodum igitur medicus conscientiosus, in aliorum accessum merito consentit, imo quandoquidem hunc proponit, tum ad se sublevandum, tum quoque ægro satisfaciendum, in primis, si conventus hi circa Magnates, aliosve, in casibus dubiis ac momentosis instituantur, ut testes bene actæ rei habebat; sic quoque non parum honoris atque laudis sibi conciliabit, quando cane peius ac angue fugit contentiones, utpote quæ maxime dedecent medicum, præsertim ægris ipsis, vel aliis arbitris præsentibus. Consultius itaque consultationes fiunt remotis omnibus arbitris, quippe plerumque accidere solet, ut occasione disceptandi obor-

oborta, quia unusquisque suam hypothesin strenue defendit, ægrotantes tandem ore rotundo dixerint: Sie sind ja selbst nicht einig mit einander, wie wollen sie mir denn helffen. Certe quanta, eaque perniciosa ex his litibus in medicinam redundant mala, verbis exprimi dignis haud potest: & Vir quidam, alias non in celebris, tales contentiones non incongrue certamina desperata appellat, hisque adhuc superaddit, discordiam medicorum, mortem esse ægrorum. Ad directorium quod attinet, sane illud peroptato fieri potest, quando unanimo concluso facto, vel uni præsenti, vel a præsentibus per vices & communicationem amicam perficitur; utut igitur medicus prudens, omnes præmemoratas inutiles disceptationes, quæ, num inanis gloriolæ captandæ gratia, vel ex alia nescio qua causa instituantur, hic non determinare audeo, flocci pendit, probe animo perpendens, præstare, decem conservare, vel manu tenere in dignitate, (ut ita dicam) quam unum opprobrio deridendum præbere; sic quoque prorsus exhorrescit in imputationibus temere factis, cum nihil turpius sit ac detestabilius calumniatore, uti quoque Cous noster (*) brevibus, sed perdocte ante oculos ponit. Per multa adhuc superesse recessenda de medici officio tam in consultationibus, quam aliis propemodum infinitis casibus, me non latet; verum enim vero & pagellarum angustia & viri-

um mearum exilitas id prohibent, opūs enim forret immensi laboris; si ideo cuiquam plura hac de materia legere lubeat, ad Clariss. Bohn. remitto, (*) pedem nunc promoturus, & pro virili medicum iuniorem circumspectum, erga pharmacopœas & chirurgos, succinēte contemplaturus.

IV.

*Cautelæ
quædam cir-
ca pharma-
copœos &
Chirurgos.*

Artem pharmaceuticam, seu Chimiam, ut-pote a pharmacopœis nobis ereptam, iure merito-que vocari posse manum dextram medici, nemo tam audacter, nisi in medicina hospes, inficias ibit, quippe tam in praxi clinica, quam forensi, artis hu-ius non satis laudandæ, usus est latissimus. Quan-do enim casus proponuntur medicamentis interem-torum, ut de iis incorrupte iudicare debeamus, & ad quos expediendos, iudicio pharmaceutico-chimico maximopere opus est, nonne quo melius tunc medicamentorum præparationem habemus perspectam cognitamque, eo certius quoque de il-lorum operandi viribus possumus sententiam fer-re? & maxime est dolendum, non paucos esse me-dicorum hancce artem plane nauci facientes, poti-us in eo confistere pharmacopœi officium autu-mantes, ut pro ægrotantibus medicamenta usu alia præparet. Beatæ vero memoriæ Bohnius (**) re-ete adserit, medicos medicamentorum præparatio-ne evadere peritiores, hacque medicinam quotidie aug-

(*) *de off. med. dupl. p. m. 112. seq.*

(**) *de off. med. dupl. p. 441. & 449.*

augeri, & idem fatetur, chimiam esse artem, quæ sub obscuris adhuc premeretur tenebris, in qua addiscenda, quo plures fecimus profectus, inquit, tanto maiores difficultates a nobis superandas, quotidie observamus, ut taceam, semper medicum oportere scientia ac prudentia antecellere pharmacopœum, quod vero nullo modo fieri potest, nisi probe calleat chimiam. Suam dignitatem medicus primo oni tempore cordi habere debet, & quia manus sibi auxiliatrices semper porrigunt Medicus atque pharmacopœus, distincta eorum debent esse officia, ne limites transgrediatur uterque. Nimiam igitur Medicus cum pharmacopœo evitet familiaritatem, quæ parit contemptum, per opus est. Præscripturus medicamenta, exacte nosse debet omnia ac singula ex pharmacopolio habenda; si autem quædam in officina non existarent, alia his sunt quidem subordinanda, sed consilio & approbante medico. Hic quoque silentio non est prætereunda pharmacopœorum quorundam nimia fiducia in suos discipulos, horumque levitas ac negligentia, leguntur enim exempla detestanda potius atque abominanda, quam enarranda, ubi huius vel illius medicamenti loco aliud, tam ægrotantis viribus, quam medici intentioni plane contrarium, ac nociferum substituerunt. Quanta sit vis in herbis ac radicibus, in vulgus est notum, & quanti eheu! non committuntur errores in pharmacopoliis, & in collectione & harum dispensatione? unicum tantum in medium proferre lubet exemplum, a practico non incelebri nordhusiano

sano observatum', (*) nimirum, radicis Belladonnae exiguum frustulum, loco cichorii propinatum, dira hac horrenda symptomata in duorum hominum corporibus excitavit, plura de huius radicis effectu lectione digna, in supra laudati viri Diatribe prostant. Hæc similiaque medici iunioris fidem ac famam infringere possunt, nisi formulas præscriptas diligenter literis mandaverit, ut necessitate urgente hisce se purgare valeat. Luxuries quoque in ceremoniali, uti vocant, merito in formalium præscriptione evitanda, & titulis semper respondere debet res pharmaceutica ipsa, & vice versa. Progressum nunc facio ad Chirurgiam, quæ non adeo inconcinne manus medici sinistra nuncupatur, quos enim nec Diæta nec Pharmacia sanat, ferrum & ignis seu Chirurgia restituit. Medicum esse directorem ac iudicem rerum chirurgicarum, nemo non novit, & neuter sine altero subsistere per omnia potest. Certe, nolo iam fuse disputare, cum chirurgia hodie a medicinæ corpore sit avulsa, an ipsiusmet medici sit, auxiliatrices præbere manus, perficiendo operationes, qram sententiam tueri videtur Clar. MVYS (**); neutiquam vero exercitium manualium operationum medico dedecori esse, HIPPOCRATES, GALENUS, CELSUS, aliquique magni nominis Viri, qui insignem sibi famam laudabili hac opera acquisivere, fatis

(*) in Diatribe Botanico-Medica de Belladonna p. m.
26. seq.

(**) *in praxi chirurg.* Barbet.

satis superque testantur. Ergo cum medici non tantum sit, exacte habere perspectas operationes chirurgicas, sed & quando usus & res postulat, ut solerterem se dare queat, magna cum laude operationes quædam hæroicæ ab illo excentur; accedit, cum creberimæ, ac abdominandæ magis, quam exponendæ sit observationis, quod barbitonorum nostrorum quam plurimi, ne calvariam quidem sine meningum ac cerebri dilaceratione aperire, nec abdominis integumenta, sine intestinorum læsione incidere queant. Unde non uni soli ad hærendum, sed melior præferendus, qui non ex instrumentorum chirurgicorum copia judicandus & æstimandus, sed quem habitus manualis facit artificem. E quo fundamento quoque nec in cadaveris vulnerati inspectione, & plaga dijudicanda, idem medico poterit haberipar, multo minus præferri. Interim, quemadmodum nec cum pharmacopola, nec adstantibus, nec aliis quibusvis, ita quoque nec cum chirurgo est altercandum: sed sub placido & prudenti utriusque concursu, Directorium operationum chirurgicarum a Medico servandum: modo monendum, ut Medicus directorium ambiens, in operationibus ipfis, earumque administratione, non imperitior existat chirurgo. Restat unum adhuc momentum considerandum, in quo cautela per opus esse politica existimo, nempe praxis medica, a per multis chirurgorum temere suscepta: hanc quidem illis plane esse interdicendam, vel metacente omnes sciunt medici politiores, nisi sit vir,

tam suæ artis probe gnarus, quam peritus quoque
 medicinæ, ita, ut morbos eorumque causas ac sym-
 ptomata penitus habeat perspecta notaque, tunc
 enim, si eum non latet remediorum præparatio,
 tempore justo, loco, & dosibus convenientibus ad-
 plicatio, accedit, quod hujus curationes plerumque
 sint felices, & ægrotantes fiducia du&ti, eum accer-
 fere postularent; sane rebus sic se habentibus, cur-
 tali viro praxin omnem denegare possimus, ut in-
 genue fatear, causam non video aptam satisque i-
 doneam, imo non esse prudentiæ, affirmare nul-
 lus dubito. Ad thesin autem meam corroboran-
 dam, in mentem venit vir quidam gravissimus, qui
 medicamentum quoddam, a chirurgo castrensi sva-
 sum, Serenissimæ Personæ, disvadebat, & qvidem
 diversis vicibus, qvia vero vires hujus medicami-
 nis sesqvipetalibus verbis ad sidera usque effereban-
 tur, placebat tandem illud assumere: quid fit, præ-
 ter spem omnem atque opinionem Medici, medi-
 camentum præstabat desideratum effectum, an ca-
 su, nec ne, de terminare nec audeo nec possum: suffi-
 cit me probasse meum assertum, quippe Medicus
 periculum incidebat excidendi gratia, & existima-
 tionis partem amittendi. Hæc cum vir in praxi
 exercitatissimus fuit expertus, quid quæso facien-
 dum erit practico juniori? sane rem penitus inspi-
 cienti non potest esse obscurum, quod hoc in pas-
 si tam diu sit connivendum, donec hujus cemodi
 empirici vires totas totas habeamus perspectas, seu
 quid ejus humeri ferant, quidque ferre recusent,

tunc

tunc enim proprio suo gladio facili negotio poterit jugnari; interea autem istiusmodi medicastris medicamentis, quando medicus non nocifera, vel morbo plane incongrua observat, prudenter vel aliud vel tanquam in sons quidem admittit, sed pro salvando proprio honore, effectum ejus nullum esse futurum, merito prædicit.

V.

Aggredior nun medicastros & empiricos, quo- *Cautelæ er-*
rum nostris temporibus tam ingens est numerus, *ga Empiri-*
ut propemodum inumerabiles existant; sed non *cos.*
mirum, siquidem haud pauci, præsertim plebejorum in ea versantur opinione, nihil esse facilius medendi arte, adeoque nil impedire, quo minus etiam indoctus quivis, rusticus & opilio, exercere hanc artem tam præclaram atque difficilem hoc pæ-
cto queat; Ast, bone Deus! quam pauci animo per-
pendunt periculum, in quo & ipsi sunt medicastris,
& ægri, quos turpiter decipiunt. Quadrat in HOS illud Syracdiis, Cap. 3. v. 27. QUI SE INDISCRIMEN PROJICIT, PERITIN EO; Ast v. 24. in ILLOS: QUOD TUI NON EST MUNERIS NE TRACTES TEMERE, mihi enim non temperare potui, quin ipsissima B. Rivini verba exscripsi-
rim; præsertim vero præmemoratum dictum sacerdotes, medicinam exercentes, *Et quos vesanos ac maleferiatos vocat D. Casp. Bravo, de ovis, quam ovis magis solliciti* (*), probe memoriæ mandare deberent, & omne quoque perditorum hominum ge-

C 2

nus,

(*) in Tom. III, Resol. 5 consultat, medic. p. m. 276.

nus, e fæce sceleratorum conflatum, ne illis accidat, quod sacer codex promittit Luc. 12. v. 47. SERVUS, QUI NOVIT VOLUNTATEM DOMINI SUI, NEC FECIT EX VOLUNTATE EIUS, CAEDETUR MULTIS PLAGIS; verum ne talcem meam in alienam messem mittere vide-rer, filum abrumpo orationis meæ epanorthodicæ, & ad reliqua brevibus tantum consideranda me converto. Ut ut autem medicinam stabilivit empiria; ita quoque non omni ex parte hanc esse reji-ciendam, firmiter mihi perswasum habeo, præpri-mis si intelligas empiriam rationalem, seu empiricam factam litteratam, methodo, non casu inven-tam, a fana ratione fœcundatam & directam, & post diuturnam effectuum medicamentorum explora-tionem, ad veritatis culmen perductam, quam me hercule! docti viri semper laudarunt, & tan-quam naturæ consonam ad majora promoverunt. Non ita, si experiundi rationem stupidam, errati-cam, repetitam, adeoque nihil aliud tradentem, quam conceptus erroneos, & placita monstrofa præ-se ferunt; sunt verba Clariss. Baglivii (*), & Stur-mius (**) de ejusmodi farinæ hominibus perelegan-ter egit: profecto de his diuturnas audimus que-relas, sed frustraneas, ob sœculi morem perversum, quod scilicet animas negotientur, & experimenta per mortem faciant. Omnes vero artistæ chirur-giæ, uti sunt oculistæ, Lithotomi, cancrum curan-tes,

(*) c. f. Prax. ejus medic.

(**) in diff. de Medicis non medicis.

tes, labiis leporinis medentes, sunt admittendi, & laudem merentur suam, si modo intra cancellos artis suæ, quam ex professo didicerunt, & exercuerunt, maneant, nec Medicinæ ulterius se immisceant: præprimis cum hucusque paucissimi, &, Medicorum, & Chirurgorum nostratium has operationes calleant, illi autem ordinarie a summis Potestatis Privilegiis sint donati atque muniti. **Qui** cunque autem ex his quoque ignorantiae artis, quam affectant, stigma gerunt, iis rectius universum exercitum hujus quoque praxeos chirurgicos esset intercidendum. Sic quoque empirici mechanici sunt tolerandi sunt enim necessarii & utiles, & Hippocrates tales commendat, modo intra suos debitos terminos se contineant. **Quo** autem minus in enarrandis empiricorum speciebus inhæreamus, instituti nostri prohibet ratio, horum enim vastissimus est campus, & ita etiam cautelæ erga hos observandas, erunt innumerabiles, primariam tamen (ex meo engeniolo) constituere potest, quando quis paulo acrius in empiricorum curandi methodum, medicamenta ipsa, aliaque inquirit, tunc facili negotio, a recto tramite aberantibus, ignorantiae suæ abyssum medicus prudens ante oculos ponere valet, eosque proprio jugulare gladio.

VI.

Officium pariter ac ornamentum esse medici, freqventer adire ægrotantes, atque hoc eo sæpius, qvo periculosior deprehenditur morbus, neminem latere arbitor, qui numero clinicorum se adscribi

Cautela circa ægrotorum visitationem in generis

patitur, tam ex Hippocratis mente, quam aliorum virorum præstantissimorum. Verum enim vero, ut secundum proverbium tritum, nulla regula sine exceptione, sic quoque quam maxime hic erit attendendum, ut semper ægrotantes acri contemplemur judicio, ne hisce invitatis aut accedamus, aut iusto tardius accessum differamus. Variant igitur visitationes pro ægrotorum desiderio & morborum diversitate, uti jam monui, duo enim cum patiuntur idem, non est idem. Haud incongrue autem me facturum puto, quando quod ad tempus visitationis attinet, illud in ordinarium & extraordinarium dirimo: ordinarium plerumque est, si facta relatione, & statu morbi cogito, mane & circa noctem adeamus ægrum, visitationes enim superfluæ minus sunt gratiosæ, & ægrotantium voluntas ambulatoria, & ut paucis me expediam, sane animus hic non est, certum statumque tempum determinare, potius istiusmodi munus rite obeundum, uniuscuiusque practici ingenui iudicio relinquo, qui facili negotio, tam ex necessitate morbi, quam ex conditione ægri, extraordinarium visitandi tempus determinabit: meum saltem erit, practicum in hisce versantem, & primarium visitationum finem non nihil sub examinis incudem revocare. Praxin clinicam optime exerceri quærendo, examinando & observando, nemo non facili perspicit negotio, & in hoc quoque consistit visitantis munus; ideoque cum clinici sit, sermonem apud ægrotantes instituere, non inepte materiam

præ-

præbere sciscitationem morbi, directionem diætæ,
præscriptionem atque usum remediorum firmiter
mihi persuadeo, hic enim scopus visitationum e-
jusmodi clinicarum primarius est, proin Dic, Cur
hic? nihil tamen obstat, qvo minus tempore & lo-
co idoneo de aliis quoque penes infirmos, vel cum
his ipsis, vel adstantibus, sermonem instituas, sic
que non medica tantum arte, sed amica quoque
conversatione utrosque tibi devincias, vid. Cl. Bohn.

(*) Quemadmodum vero curantem requirit medicum ægrotans, non nimis loquacem, sic præprimis
jaçtantiam seu ventositatem, vitium multis admo-
dum familiare, ut medicus evitet, per opus est, c. f.
Botall. (**) Sunt enim, qui de remediorum suorum
præstantia & infallibili quasi effectu, multa faciunt
verba, sunt, qui omnibus morbis se esse pares auda-
ceret ostentant, cum tamen multoties eheu! locu-
ples testetur avtopsia, istiusmodi ostentatores spe-
suā frustrari, quippe impossibile est, omnes ac sin-
gulos pristinæ restituere sanitati: optimum igitur e-
rit sub conditione quadam tam de morbi eventu,
quam remediorum felici effectu differere, ne tale
immaturum promissum pratico, in primis juniori
noceat, atque ex hoc permultæ aliæ molestiæ ortum
trahant. Idem iudicium quoque esto de adstantibus,
ægrisque ipsis, quando morborum indolem ex me-
dico quærunt, vel an spes sit reconvalescentiæ, nec
ne? an sit periculum in mora? namqne his sem-
per,

(*) de Med. decor.

(**) de Med. & ægri mun.

per, quantum possibile, dolor consolatione est eripienda; illis vero ore rotundo dicendum, utrum sit periculosus, incurabilis & sic porro? Brevibus sic consideratis visitationibus in genere, unicum adhuc esse monendum existimo, quod, nimirum sistro dato, non statim sint relinquendi clientes, sed pro re nata, una vel altera vice redeat medicus; petere tamen debet venian accessus. Sine ulteriori autem mora me converto ad paragraphum, Magnates ægrotantes, quantum possibile, sistentem.

VII.

Cautela circa Magnates ægrotantes. Cum itaque de medici prudentia in aulis paucula facere verba instituerim, nisi me omnia fallunt, statim sub initium huius speciminis monui, mentem meam non esse flaviis aquam, lignaque filvis addere, exercitatis puto medicis & practicis, regulas præscribendi politicas, non sane, ut potius meas ingenii vires explorem, & futuris tantum practicis pro virium exilitate viam monstrem, qua prius cognita, eo melius sine ulteriori mora interiecta, progressus facere queant. Ante omnia igitur paulo penitus inspicere lubet morbus Magnatum, illosque, si curatu difficiliores plebeiorum pronunciarem, etsi non omnes, tamen quamplurimos archiatrorum mecum habeo consentientes, quid, quod? multoties incurabiles existerere, eheu locuples testatur experientia. Undenam vero hoc evenit? Certe, hic non est, cur dubitemus munus medici principis suscipere; ex eo fundamento, ac si Magnatum morbi plane essent in cogniti, & diversi

versi ab aliis, ita ut nullis remediis possint coereri, hoc non facile dixerim, differunt quidem uti ceteri ratione climatis, vitæ generis, ætatis, sexus & sic porro, hæc omnia autem medicum prudenter non latent; quod vero Magnatum infirmorum couditio sit deterior præ aliis, id omni iure, meritoque spuriis adscribi posse consultoribus, firmiter credo, & tunc præprimis eiusmodi adstantium imperitorum ausus experiuntur Magnatum medici, si remedia generosiora, v. gr. V. S. Cranii perforationem, paracentesin, & similia postulet morbus gravior, unde haud mirum, quando illi præ his citius reconvalescant, medicus enim absolute magis imperium suum exercet in illos, & sine contradictione ulla in tempore adhibet quævis necessaria. Diæta Magnatum hic loci quoque non erit sicco pede prætereunda, quanti enim proh dolor! non committuntur errores? ita, ut primarium hoc esse impedimentum, ne optima quæque remedia vim suam exferere valeant, affirmare non erubescam; ut taceam, quod Magnates' ac divites communiter non pluris æstiment suos medicos, quam mercenarium quemvis. Davor gebe ich dein Doctor sein Geid, daß er muß aufwarten, und alles wieder gut machen, sunt verba Clarissimi Rivini. Felix igitur medicus, qui confidentem & sapientem fortitur ex Magnatibus ægrum, & contra; ut ut autem jam in paragraphe secundo innui, per opus esse aliorum solide doctorum Virorum consilio apud Magnates ægrotantes, sic quoque iterum iterumque commendo con-

cordiam, multitudo enim medicorum disaordium, perdidit non raro Cæsarem: Fama etiam, uti semper medico cordi esse debet, tamen præprimis illam in aulis servare, sapientis est & prudentis; hæc vero optabiliter potest tueri, quando medicus primo potum vini immodicum plane abhorret, quippe tunc subterfugit fomitem ac fontem omnium reliquorum vitiorum, puto temulentiam, quæ speculum est morum, & lapis lydius propensionum humana-narum (*) de in quoque ab illo absit avaritia, loqua-citas, arrogantia & eiusdem farinæ menda, quæ ne-opracticum reddunt odiosum: quibus haud imme-rito accensendam esse puto nimiam cum aulicis fa-miliaritatem, atque propensionem in jocos ridicu-los: Medicus enim decentem atque modestam sibi comparare debet gravitatem, ne jocis continua dignitatem perdat, seque ipsum joculatoribus aulicis associet; & denique omnes intendere debet nervos Medicus aulicus, ne in diagnosi ac prognosi forman-da, a recto aberret tramite, hisce enim duobus hu-jus famam multum posse augeri ac imminui, sana edocet ratio. Multa quidem essent dicenda de me-dici officiis oblatis apud Magnates, quod evilescant, de muneribus Magnatum suo tempore exosculan-dis, de Alchymia, aliisque artibus magis noscendis quam suadendis, & in primis quod ad Alchimiam, sane non temere ac argute ad hanc sunt perducendi, de remediiis pretiosis Magnatibus propinandis, simi-libus

(*) e.f. B. Mem. Rivin, diss. de med. in culp. p. XL.

libusque; verum & chartæ angustia, & instituti nostri vetat ratio plura addere, ideoque filum abrumpo, & ad alios, præprimis plebejos ægrotantes, non nihil contemplandos, me converto.

VIII.

Non placitum mihi fuit discrimin facere inter ægrotos mediæ conditionis, ac in finæ, nam specimen hoc in nimiam ex cresceret molem & præterea existimaverim ego per facili fieri posse negotio media incedere via, si quis Magnates ægrotantes, atque reliquos, paulo penitus considerans, medium quasi, ut ita dicam, sibi formet prudentiam, sed his missis, nunc ad rem.

Profundissimæ eruditionis Vir, B. Riven. loco citato pereleganter vitam medicorum, miseriis plenam, descripsisse mihi videtur : *Quotidiana auscultare querelas, inquiens, spectare nil, nisi calamitates, inter lacrymas gemitusque omnium ad agonizantes aceedere, inter nives & frigora, pluvias & tonitra per urbem circumire, vix dormire tuto, nedum cibare, verbo, inquietudine fatigari perpetua, res adeo quidem tœdiosa est, (in primis practico veterano), ut plane persuasus sim, quam plurimos, si ab initio norint fastidium praxeos, quodvis potius vitæ genus eligere, quam artem istam alioquin egregiam.* Quantumvis igitur ex præmemoratis, medicus magnam animo capiat molestiam, tamen omnia essent toleranda, nisi plerumque loco sostri accederent contumeliæ ac calumniæ. Advocatus enim medicus, quando graviores causæ

*Cautela non
nullæ in ple-
bejorum cu-
ratione.*

eum domi detinent, ut non ad nutum adparere pos-
sit, illico in hæc obtuse prorumpere verba vulgus
non erubescit: Unser eines, sagen sie, hat schlechte
Hülffe, ja, wer es auch zubezahlen hätte, wie reiche
Leute? his similibusque convitiis, excruciant medi-
cum istiusmodi homines, sed quicquid fit, PATI-
ENTIA VINCIT OMNIA. Gratiros solent ad-
pellare Medicos, fortassis, quia sunt Eleemosynarii
publici, sic re ipsa, ut merearis nomen, semper
succurrentum pauperibus, sine ulla remuneratio-
ne. Quemadmodum vero medicus, minime ex
sola vulgi opinione venit æstimandus, sed fama sub
nixa sit eruditione, alias inconstantem esse, non si-
ne ratione existimo; sic quoque illam non prorsus
esse rejiciendam, firmiter mihi persuasum habeo,
imo quoque medicus prudens hanc sibi quantum
possibile debet conciliare, quod fieri potest, igna-
rum vulgus, si vel minus intelligat, vel aliter per-
suasum habeat, quæcunque sint, modeste in for-
mes, ac potius non raro loquendum esse medico
cum plebejis, & sentiendum cum eruditis, existi-
mes; brevius autem & concisius cum vulgo est col-
loquendum, & tamen hæc neutiquam constituit
perpetuam regulam, sed pro subjectorum diversi-
tate differt, nullatenus vero cum his ignaris dispu-
tes, ne triti proverbii veritatem experiaris:

Vinco seu viucor, semper ego maculor.

Ad morborum curam facilitandam aut protrahen-
dam, vel impediendam haud parum conferre men-
tem,

tem, operationes suas varie in corpus exferentem unusquisque vel me tacente, agnoscit; ita' sane quilibet medicorum pro circumstantiarum varieta-
te, eo operam navare tenetur, ut, quantum in se est, ægrotantis operationes mentis intra limites rectos coerceat, & quemadmodum pleraque vulgi pars justo & perfecto rationis usu non pollet, quo I. animi pathemata, vel ciborum desideria modera-
re possent; ita diætæ regimine quam maxime o-
pus est, & ceterorum, hisce enim neglectis, non aliter fieri potest, quin quævis irrito adhibeantur successu. Quamvis autem uniuscujusque sit' me-
dici, se ad cuiusvis captum atque ingenium accom-
modare, præprimis tamen hac circumspectione
per opus est in fœminis ægrotantibus, quæ nunc
considerandæ veniunt.

IX.

Castitas ac Pudicitia, si quem alium, sane *Cautela circu-*
Medicum ornant. Non minima quidem gloria *ca sexum*
est, sequiori sexui placere, modo hanc gratiam *sequiorem*,
tibi concilies, non confabulando', jocando, vel
quod maxime absit, contreftando, turpe enim est
medicum audire libidinosum, & salacem. Nihil ta-
men obstat, quo minus practicus adeat virgines,
mulieresve omni tempore, nocturnis quoque ho-
ris, si modo necessitas id postulet urgeatque mor-
bus. Ut ut vero sexus sequior, quam plurimis
morbis præ potiori vexatur; sic quocunque tandem
laboret, medicum decet esse tacentem. Modo
enim

enim quæ minus formosa est , lentiginibus inqui-
nata, rugisque anilibus obducta , avide expetit fu-
cum : alia menstrua suppressa pelli , & ejusmodi
sexcenta alia desiderat. In quam plurimis autem
fœminarum morbis , semper uno oculo respicien-
dus est uterus , & ordo rerum agendarum , pro
modulo mensium in primis ac unice variat , tum in
cœlibatu , tum in conjugio Cautus debet esse
medicus in diagnosi mensium deficientium & pro-
gnosi , ne statim graves arguat , ex hoc enim solo
nihil certi concludendum , idem judicium quoque
esto de molam gestantibus , & hysterics. Medi-
camenta quod concernit , hisce molliculis propi-
nanda , quantum possibile , palato debent esse ac-
cepta : hæc enim postulat graveolentia amara , alia
suaveolentia & dulcia. Nunquam danda abortiva
tam interna , quam externa , nec studio , quod sce-
lus impium , nec negligentia , quod turpe & inde-
corum : idem quoque esto judicium de vomitoriis ,
purgantibus , nunquam propinandis , nisi causam
prius habeamus perspectam , cur hæcce medica-
menta generosa sibi expetant fœmellæ : itidem mola
cum fœtu , vel hydrope non est confundenda , sed
uteri motus , probe discernendus ab Embryonis
motu , & reliqua. Postremo non injuriosus ero in
hocce genus formosum , quando multoties propria
sua culpa perire , existimo , & meum assertum con-
firmare videtur Celsus : *Propria culpa percunt, iuquit,
præsertim mulieres virginesque , dum pudore perfusæ, se-
cretiores corporis affectiones revelare non àudeant ; cum*

tamen

tamen necesse foret, ut liberius de his conquerantur, & Ranchinus (*) quemadmodum ait, in confessione peccatorum, vitiorum occultatio, animæ mors est, sic in corporearum affectionum relatione suppressio malorum, vitæ ac salutis ruina. Amorem quoque, quem tamen ex nimia pudicitie semper celare solent, multis morbis fomitem præbere, non sine ratione arbitror, uti morbi ex salacitate nimia orti, furor uterinus, amor insanus similesque testantur; talibus igitur conjugium, optimam sæpe virginum medicinam, sed honestum, suadere potest Medicus: id quod tamen sub debita circumspetione fieri debet, ne ipsis ægrotantibus facile consilium demus, sed agnatis; ne forsan verum morbum celantes, ex eo, quod medicus illum agnoverit, impudorem conjiciantur.

X.

Quo quis tenerioris est texturæ, eo facilius quoque læditur: sane infantes ob vasculorum præ-
primis, pororum, nervorumque teneritudinem, circa te-
ob occursum alterantis aeris, errores & morbos nutricum, ob $\alpha\delta\delta\eta\varphi\alpha\gamma\lambda\alpha\tau$, & inde impuritates in corpore collectas, quocunque demum nomine insignias, reliquaque, multis corripi morbis, præ quadratis, in vulgus est notum. Ab sit autem, ut hæc teneritas causa sit, quam obrem hisce tenel-
lis minus mederi possimus, ut potius tanto majo-
ri ope indigeat, quanto delicatior est machina cor-
porea. Evidem non diffiteor, singulari opus es-
se in

(*) de consultat. rat. Cap. IV.

se in infantum curatione prudentia, tam circame dicamenta præparanda, quam modum propinan di ac dosin; accedit, quod per sciscitationem, & seriam demum informationem ægrotantis, tam hu jus constitutionem, quam morbi ætiologiam plerum que expiscamur, mirum haud erit, cur infantum ac puerorum medela, a quibus tale quid minus expe ctandum, sit difficilior ac periculosior. Meum non esse autumo, infantum morbos recensere, eorundemque curam annextere, hæc enim omnia magis enucleata prostant in CL. Wedel. (*) tractatu; sed potius pro juvenili ingenio adjiciam tantum non nullas cuutelas in infantum morbis pro lubitu ob servandas. Edito igitur in lucem embryone, sta tim jubente Coo, propinandum est medicamentum leniter alvum ciens¹, quo meconium ex intestinis ejiciatur, nam colostrum non semper aptum est, ad hanc materiam sæpius compactam, ac propemodum induratam, educendam. Dein loco lactis muliebris, haud facile dandum est liquid succedaneum, uti non nullis est in consuetudine, etiam si ab Helmontio prædicatum, ut pote minus naturæ congruum & persæpe nociferum, sive fit decoctum anisi, sive emulsiones, neque cerevisia tepida temere nutriendus in initio. Et denique quam maxime in infantibus attendenda sunt principia vitalia, fundamenti loco generalis; primæ viæ itidein probe veniunt respiciendæ, his enim mundificatis,

mule

(*) de morbis infant. p. 7. seqq.

multorum morborum solum item materialem, ac originem disjici, e. gr. variolarum, Epilepsiae & ceterorum, si miter existimo. Medicamentis nec ullis, nec pluribus quam opus est, infantes ob rui debent; & urgente necessitate, haec vel fraude licita, vel persuationibus, vel blanda vi ingerenda. In morbis gravioribus v. gr. Epilepsia inverterata, nullis remediis cedente, quandoque prudentiae est, urgentibus præprimis parentibus, remedia empiricorum concedere. Medicamenta Mercurialia, ut Mercur. dulc. aliaque chemica, permulti quidem tanquam nocifera fugienda perhibent, verum, quando lege artis & rite sunt præparata, justo tempore & convenienti dosi propinuantur, ut ingenuæ fatear, non video qua ratione nocere possint, sed circumspectione opus est. vid. CL. Wedel. (*) Non secandi infantes hernia laborantes, nec V. S. juxta methodum Gallorum instituenda, nisi quid speciale urgeat. Plura hac de materia scribere, prohibent adhuc proferenda, quæ nunc aggredior.

XI.

Quemadmodum multa interrogare ac sciscitare *Cautela erat* debet medicus, secundum Vallesii (**) monitum, *gæ adstantes.* i. e. omnia ac singula exacte examinare, modo debilitas ægrotantis, atque acerbitas morbi, aut ægrimo-

E

rofisi-

(*) diss. de Mercurio dulc.

(**) 2. epid. p. 122.

rositas, permittat, quarum postrema nonnunquam tam barbara & crassa deprehenditur, ut neque medici interrogata observet, neque responso dignetur, quid? quod interdum istiusmodi cappadocium portentum obtuse dicere non erubescit: Ich weiß selbst nicht was mir ist, er siehet wohl daß ich frank bin, er wirds wohl aus dem Urin sehen, quasi vero medicus vel solo ipsius, vel urinæ aspettu judicare possit, quæ, & ex qua causa patiatur; ita potissimum multum lucis accendunt practico adstantes prudentes, i. e. qui circa ægrotantium medelas sæpius fuerunt occupati, hisque præprimis hocce munus iterum est demandandum. Antequam vero paulo accuratius adstantes considero, me non sine ratione suadere opinor, prius ab his constitutionem, ætatem, vitæ genus aliaque esse expiscanda, quam intramus infirmi cameram, non quidem eam ob causam, ut ordine hæc omnia denuo possit enarrare medicus, ac si esset Propheta; verum, ne tam multifariis quæstionibus fatiget decumbentem. Cum igitur nonnihil adstantes contemplari apud animum constituerim, non inepte me facturum arbitror, quando horum custodum officium, quod tria involvit, paulo accuratius inspicio, quo eo melius adpareat, quomodo sint gubernandi, & errores ac delicta eorum corrigendi. Primo enim ægrotantem ejusque affectum, remedia propinanda, res non naturales exacte scire, illis fit
inte-

integrum c. f. Cl. Bohn. (*) quo medico quærentⁱ distin^cte omnia recensere queant; dein ut medicamenta justo tempore ac dosi adplicant propinquentque ægroto; & denique ut observent a medico præscriptam diætam necessariam: non raro autem accidere solet, ut ultra crepidam sapere malint, si quando medici regulas negligunt, harumque loco & medicamentorum substituunt alia, quod fit modo clam, si timidiiores, modo palam, si arroganteres & perficie magis frontis fuerint, quod vero neutrquam tolerandum. Præstat magis ægros curatorem habere specialem, quam generalem, unum certum, quam plures incertos, vagosque; præ reliquis autem aptissimæ sunt foeminæ clinicæ, eæque consuetæ, seu huic muneri adsuetæ. Nihil temere indulgendum est adstantibus, nec committendum, & medici multum interest, ut fidos, amicos & candidos nanciscatur adstantes, alias fama infirmis ac debilibus incedit cruribus; hi quoque medicinæ periti esse possunt, non vero nasuti, arrogantes, malefici, perfidive; sed medicus director antea dictorum, omnes eo intendat nervos, quo ultra vulgus sapere, ac intelligentia omnes ac singulos præmemoratos antecellere queat.

XII.

Ex pharmacopoliis tam simplicia quam *Cautela* composita, & cruda, & præparata præscribere *nonnullæ* ac depromere, esse consultum, in vulgus est no- *circa med-*

E 2

tum; *camenta in genere.*

(*) de off. med. dupl.

tum; nihilominus tamen, quia permulta in his vel plane non, vel superflua prostant, imo aver-
fationem interdum carentia, ignobilia & indigna,
de quibus pererudit B. Mem. Rivinus scripsit (*)
accedit, quod aliquando variorum medicamento-
rum, præprimis heroicorum præparatio, non ri-
te ac circumspete peragatur, ita rebus sic se ha-
bentibus non possum non, quin selecta magis at-
que tutiora, privatim præparanda ac dispensanda,
commendem: si modo leges publicæ id non pro-
hibeant, aut bene constitutæ pharmacopoëæ, necef-
sitatem privatæ dispensationis non infringant: a-
lias melius agere, juniores præprimis medicum
existimo, si publice formulas præscribat, quo nem-
pe in casu sinistri forsitan eventus ad testimonium
publicum, rei sic & non aliter actæ, provocare pos-
sit. Horrent non pauci, ait, CL. Rivin. ac horrerent o-
mnes, credo, quæ præparantur & distribuuntur in offici-
nis, si rescirent, quibus contaminentur lances, mortarium
& reliqua utensilia. Novi fæminas, quæ morbum ac do-
lorem quemicunque pati, quæ mori malint, quam vel uni-
cum granum, guttulamve unciam e pharmacopolio assu-
mere, quod aliquando audiverint, es fâme allerley von
armen Sündern in die Apothecæ. Ut ut autem
præparatio medicamentorum tantum est opus, ut
proprios oculos manusque admovere, omnino sit
necessarium, ab hac enim dependet salus vitaque
ægrotantium, ita, si necessitas postulet medicamen-
ta ex officinis depromere, semper præ ignotis quo-

ad

(*) in diff. de medic. offic. cens.

ad præparationem, usu communi recepta, & satis commendata ac experta eligenda. Medicamenta leniora temperatiora quam sæpiissime in morbis curandis omne punctum absolvunt, & multoties existunt præstantiora fortioribus calidioribusve. Mutatio crebra & medici & medicamenti, citra sonticam rationem, persæpe mors ægri. Medicamenta non æstimanda ab eventu, sed secundum indicationum rationes, methodum medendi & leges ac fundamenta artis. In Mercurialibus propinrandis ipsoque Mercurio dulc. quam maxime opus est cautela, tum quoad præparationem, quæ certa ac cauta esse debet, tum respectu doseos atque subiecti: vid. CL. Wedel (*). Opiatis pariter præticus carere nequit certis, fidis ac innoxiis, necessariis ac probatissimis, modo circumspècte administrantem, uti reliqua nanciscantur; sed optimum est in multis morbis, opiatibus, uti quoque reliquis medicamentis plane abstinere, & tantum convenientem adhibere vietum, quo natura foveatur, non raro enim morbus remediorum copia evadit incurabilis, consentientem habeo peringeniosum BAGLIVIUM (**) qui plura, lectu digna hoc de argumento scripsit, ad quem B. L. ablego; nunc vero paucula differere mihi licitum erit, de pulsuum exploratione, quam brevibus considerandam in me suscipio.

E 3

XIII.

(*) in diss. de Mercurio dulc.

(**) in Animadvers. suis in Pract. nov.

XIII.

*Cautelæ non
nullæ circa
pulsus ex-
plorationem*

Cor centrum totius Circuli sanguinis modo potentius modo remissius, modo crebrius, modo tardius constringitur, vel dilatatur, & ita sanguinem pro Systoles ac Diastroles discrepantia, evibrat quoque musculus hic ac protrudit ad omnes corporis partes, unde haud mirum, quando pulsus mox celer, mox tardus & sic porro deprehenditur. Nolo jam moras nectere in recensendis pulsuum speciebus, has autem qui cupit, evolvat Struthium, Wedel dissert. (*), ubi plura hac de materia scripta prostant. Condones velim, L. B. si hic, uti in reliquis quoque rem non semper acutetigerim, idque virium mearum tenuitati adscribas. Ex antea dictis, ni fallor, liquido adparet, pulsus multis vicissitudinibus esse obnoxium, & sic terror, tristitia, inopinatus medici vel amici cuiusdam aspectus statim commutare illum valet, ideoque putaverim ego, prius aliquamdiu cum ægroto esse colloquendum, quam ipsum explorare sit licitum. Pulsui nec nimis diu inhærendum (more Sinensium), multo minus alio prætextu, nec nimis breviter desistendum, ad ictus minimum sex vel octo. Sunt, quibus natura arteriam alias in carpo sitam, pollicem inter atque indicem collocavit, tunc non illico existimandum, ægrotantem agere animam, sed reliqua probe sunt consideranda

(*) *de pulsuum Physica.*

da vid. Tulp. (***) Pechlin. (****) aliquae. Medicus quoque nec nimis pertimescere debet pulsus varietatem, nec fidere eidem soli; Pulsus enim bonus, urina bona, tamen æger moritur. Judicium igitur non statim & promiscue erit ferendum ex pulsu circa morbos: es hat nichts zu sagen, der Patient soll bald wieder restituiret werden, quippe non raro evenire solet, ut vix præterlapsa semihora, ægrotum vitam cum morte commutasse, audiás; sed ut supra dictum fuit, signa collective sumta, demum constituunt pathognomicum. Quemadmodum vero pulsus in auspicanda & exercenda praxi clinica primum est magisterium; sic ab ægrotante visitato discedere hoc neglecto, turpe fuerit ac probrosum, nam signum est certum, etiam si certis casibus fallat, si igitur quid certi ex pulsu tactu in nos redundet, id omne debemus ceteris circumstantiis (excepto uno vel altero casu) quæ, utili jam monui semper acri prius sunt pendendæ judicio, ne bonum perperam pronunciemus pulsum, & ægrotantes omni periculo vacuos: tunc enim symptomatis præter spem omnem atque opinionem in deterius mutatis, non est Sapientis, dicere:

HOC NON PUTARAM.

Sed hæc velut in transitu de pulsu, nunc ad lotium humanum considerandum me converto.

XIV.

(**) 3. observat. 45.

(***) Lib. 2. obser. 5..

*Cautela cir-
ca urina-
rum inspe-
ctionem.*

Quemadmodum in paragrapho praecedenti dixi, pulsū non esse unum eundemque, sed admodum discrepare pro subiectorum diversitate, sic quoque idem iudicium esto de urina humana. Lubens quidem fateor, multos extare libros, in quibus *ḡeōk̄nōm̄ias* methodus magna cum diligentia fuit descripta, & meum quoque hic loci non erit novum conscribere, utpote quod opus grandius, quam cui rite satisfaciendo, vires meas censeo pares, ut potius concise tradam nonnullas cautelas, quibus in praxi adhuc parum versati (si illis ita visum fuerit) possunt uti, & pro lubitu his minus politis, politiora ac cultiora addere. Dolendi sunt vel ad minimum merentur commiserationem, qui dolorem in capite, abscessum in gula, aut quemvis alterius partis affectum, unde nihil sero communicatur, ex matula divinare præ se ferunt, hi enim ignorantiae potius suæ, quam morbi cuiusvis indicium præbent, vid. Cl. Thom. Willis: (*) Equidem non diffitendum, ad renū, ureterū & vesicæ affectiones, nec non gradum æstus febrilis dijudicandum, Icterum dignoscendum, aliquid lucis nobis accendere urinarum inspectionem, sed quomodo quis ætatem, sexum, an ægrotus lectulo sit affixus, nec ne? aliaque sexcenta, ex matula hariolari possit, ut nihil dissimilem, non video causam satis aptam atque idoneam. Lotium igitur, seu huius inspectio duntaxat in tantum habet ali-

(*) *dissert. epistol. de urin,*

aliqualem usum ; in quantum antea nominatas alluit partes , & ex sanguine secernitur : ergo ex sola urina nunquam temere & inconsiderate vaticinari debet Medicus : Ergo nec exigenda promiscue & absolute ab omnibus , neque huius perlustratio prorsus abnuenda ; E. facta consultatione medicos inter de ægrotantis affectu , non ex urina contrarium assertum inconsulte in medium proferendum : E. in externis læsionibus quibuscumque conformatio&nis & solutæ unitatis , non nisi admodum remote in censu&n venit urina , & ut brevibus me explicem , id non facile dixerim , urinæ inspectionem omnimode esse reiiciendam , ut potius laudem suam mereri , prorsus sim persuasus ; iistamen cum aliis cordatoribus medicis assentiri haud possum , qui ex solo allato lotio , sepositis omnibus symptomatis aliisque signis , nec ægrotante viso , nec alio modo de eius statu sufficienter instructi , morbum eiusque causam , & quod maximum , eventum divinare frustra conantur , uti iamiam in antecedentibus innui . Evaporatio , destillatio , putrefactio lotii , non nulli quidem , & georgicus accuratius inspicientes , suadere videntur , tamen quid certi falsive inde ad nos redundet , acri iudicio præditis animo perlustrandum relinquimus . Ut ut autem medicus præ ceteris multis est expositus periclitationibus , sic præsertim in urinarum inspectione cautus sit , ne fallatur ; nemo non faciliter perspicit negotio : Nonne cruenta urina , alias vasorum læsionem non obscure indicans , te fallere valet in mensium fluxu , & quem quæso latet , dari medicos , qui studiose alegendant eiusmodi emissarios , iudicium de morbo

bo præsenti (& perlæpe nullus adest) exigentes, quo ex-piscatis omnibus neo-practicum decipient, deceptumque penes alios risui habeant (*), caute igitur de lotio ab ignotis allato iudicandum: sic quoque varia assumta, in-primis liquida, urinam diversimode alterare queunt. Multa quidem dicenda restant, verum brevitati studens; paragraphum finio, cum animus sit sostra medica, quæ ordo nunc tangit, brevibus perquirendi.

XV.

*Cautela cir-
ca sostra
medica,*

Loquuntur vulgo medicos esse benignos, "qui à benigne ægrotis facerent, præprimis pauperibus, & forsitan quoque ex hac ratione illos Gratosos appellant: sane hæc, similesque denominations, non parum quidem splendoris ac honoris medicinæ conciliant, & es-
set exoptandum, ut omnes ac singuli hoc nomen sibi iure possent vindicare; tamen quia proh dolor! contrarium quotidie experimur, ita, ut avaritia, qua nihil turpius ac detestabilius medico, & non satis vituperanda commoditas, benignitatem ac sedulitatem longe superare videntur; sic me non sine ratione adsertu-
rum fore opinor, quando hoc encomio multos medi-
cos prorsus indignos iudico. Novi enim quosdam,
quibus semper in consuetudine erat ægrotantes pecunia
carentes ablegare ad iuniores, & dicere: Hier ist nicht
viel zu hohlen, er mag zu einem Anfänger gehen, ich
bin kein Gotteswillen Doctor. Cur autem tam horri-
de atque inculte nonnulli praticorum veteranorum di-
eunt?

(*) vid. Bohn. de offic. med. præsag.

cunt? scaturigo omnium præmemoratorum est nimia fiducia sui ipsius, temere enim istiusmodi homines sibi persuadent, hunc vel illum ægrotantem nullatenus pristinæ sanitati posse restitui, nisi eorum imploret auxilium, quasi vero unicum essent solatium ac refugium; certe de his quid sentiendum determinare non suscipio, sed sanioribus ac prudentioribus practicis veteranis decidendum relinquo. Tantum vero abest, ut modo recensitis practicis omnem prærogativam denegarem, horumque famam meis meditationibus iuvenilibus instringere, non sane, utpote quos omni reverentia excipio, ut potius declarem, sermonem hic esse tantum de illis medicis veteranis, qui præconceptis opinionibus turgidi, medicos iuniores plane nauci faciunt, existimantque se solos sapere. Avaritia igitur si quem aliud, certe dedecet medicum, ideoque semper gratiosa manu pauperibus subveniendum, sine ulla remuneratione; munusculum tamen, si tibi offerant, non detrètes, prudentiæ est, nisi pauperies notoria tibi sit cognita, quæ gratitudini pauperum est præferenda; hoc enim magis magisque firmatur confidentia, nec deterriti redditum abhorcent. Sacerdotibus urbicis, ministris auxiliis, aliisque gratis quoque (si lubet) succurrendum, verum nihil sine causa; & uti Clericus Clericum, ita medicus medicum non decimat facile, sed auxiliatrices sibi invicem præbeant manus, ipsis sit integrum: Pro ægrotantis captu, statu & conditione quoque nostra medica differunt; sicque pretium medicamentorum definitum a vilioris vel mediæ conditionis ægrotantibus

desiderare, erit æquissimum, non æque ab illis, penes quos est suumum imperium, & qui divites audiunt, quorum Magnanimitati ac Liberalitati omnia sunt relinquenda: Exiguum lucrum, idque sæpius repetitum, magis prodest quam pretiosum & rarum, medio tutissimus ibis, præstat autem in defectu magis peccare poscendi & accipiendi, quam in excessu: Ægri curati vel curandi, semper ex solvendi grata promptitudine sunt æstimandi, neutquam vero ex divitiis & facultatibus. Sunt, pro medicamentorum præscriptione, visitationibus & medicamentis ipsis large ac liberaliter solventes, alii non æque, probe itaque a se invicem distinguendi ægrotantes liberales ab avaris. Non est, ut multa de ingratis, illiberalibus, rudioribus aliisque huius farinæ hominibus differam, etiamsi monitis & in ius vocatis, tamen ad solvendum obtusis, namque hoc in casu optima est cautela ACCIPE DUM DOLET, quando enim dolor evanuit, plerumque hocce hominum genus dicere solet: Er hat mir ja halde nichts gegeben, und ich habe auch keine Hülffe verspühret. Nolo me prolixiores hac in materia gerere, ideoque brevibus paragraphum ultimum, cautelas nonnullas erga morientes sistentem ordior.

XVI.

Cum omnes servare sit impossibile, interdum e- *Cautelæ cir-*
 nim medica plus valet arte malum ; ita medicum non *ca morien-*
 corpori solum omnimodo prospicere, verum & animæ,
 præsertim urgente necessitate decet ; & esset exoptan-
 dum, ut semper in morbis malignis, acutis, aliisque ca-
 sibus desperatis, qui præter spem omnem atque opinio-
 nem ægrotantem extinguent, prius confessionarii accie-
 rentur, quam medici , quo anima periculis erepta, eo
 tutius corpori auxilium ferre queamus. Sed quis quæ-
 so est nostrum, qui ægrotantibus hocce suadere moli-
 retur ? nonne imprudentes talem illico mortis nuncium
 haberent ? sed quicquid sentiant istiusmodi improvidi
 atque temerarii, tamen erit medici christiani, animæ ra-
 tionem habere,&, si moribundo ægro cum aliis adstet,sive
 cognato,sive amico honorato,prout decorum fuerit visum,
 id indicar *Quando autem quis mihi obiicere vellet, in*
agone non opus esse medico, sed prudentiæ, tunc tem-
poris domi se tenere ; ambabus largior, quando medi-
cus noverit fatorum præcipitia, uti in senibus, aliisve
morbis periculosis, cum tela prævisa minus noceant,
& mors præcognita famæ consulat ; id autem sajtem
urgeo, medicum præsentem, mortem ægri subterfugere
non debere, dedecori enim esset, si ægrotans hoc anxie
desideret, imo pericolosum, præprimis in aulis, male
nim sibi conscius tunc videretur, vel ex mala causa id fa-
cere. Nunquam vero acceleranda est mors morituri, et-

iam ad adstantium aut ipsius ægri rogatum ; sed conformantibus vitalia, & mitigantibus dolores, æger est erigendus, si quando vires adhuc medicinam quandam admittant, alias enim esset superfluum, & melius, horam solutionis quiete expectare. Nec desperandum quoque sine necessitate, nec nimis fidendum, in primis quando æger sæpius quasi mortuus visus fuit, tunc enim caute circa prognosin versandum. Neutquam vero mortui sunt visitandi, uti Gallis in proverbio est, nisi ad Magistratus requisitionem, vel ad parentum vel cognatorum petitum cadaveris apertio instituatur ; minime vero hæc promiscue efflagitanda, vel subeunda erit a medico, verum præmemoratorum voluntati relinquenda. Peracta autem sectiōne, medici est, de morbi genere & statu, quo æger decubuit & defunctus est, referre, & in hac relatione brevi, perspicua & sufficienti, præprimis acumen iudicii medici elucere debet, hicque doctus ab indocto discernitur. Nec terminis technicis omissis, ponenda sunt huc minus spectantia vel defunctum, vel alios false perstringentia ; & morbus, in obscœnis si fuerit partibus, etiam si nullatenus suspectus, præcipue in sexu sequiori, præstat semper velamento quasi obtegere referenda, & modestiis effari. Ne autem exercitatio hæc animi, Tibi, L. B! nauseam creet, finem rei impono, & si quorundam bilem præter omnem spem atque opinionem moverim, doleo illorum vicem, condonandum mihi est hoc in argumento minus perito, & cogitandum : Nunquam male, nunquam bene : augeas, modeste corrigas, & quæ minus sunt polita, polias, iterum

iterum iterumque abs te peto : lubuit cautelas tantum
 nonnullas scribere Medico politicas , si placet Politiam
 medicam perfectam elaborare , permultos Tibi obstri-
 etos facies , idunice adhuc abs te contendeo , ut
 mihi imposterum faveas.

T A N T U M.



Errata sequentia, & si quæ plura
irrepserint corrigat B. L.

Pag. 3. lin. 17. lege accurata p. 4. l. 2 l. derogatur. p. 5.
l. 2. l. necessarium. p. 5. l. 13. l. oporteat. p. 5. l. 23. l.
ardentissimis. p. 5. l. 28. l. huncce. p. 8. l. 1. l. ipsæ. p. 8.
l. 3. l. querelæ. p. 8. l. 16. l. partibus. p. 12. l. 24. l. habeat.
p. 16. l. 5. l. lectione. p. 18. l. 17. l. sesquipedalibus. p. 19.
l. 2. l. iugulari. p. 19. l. 4. l. aliud substituit. p. 19. l. 10. l.
innumerabiles. p. 19. l. 19. l. Syracidis. p. 21. l. 11. l. pra-
xeos chirurgicæ. p. 21. l. 12. l. interdicendum. p. 21. l. 16.
l. iubet ratio. p. 21. l. 22. l. aberrantibus. p. 22. l. 14. l. co-
gnito. p. 22. l. 18. l. tempus. p. 24. l. 8. l. veniam. p. 24. l.
21. l. morbos. p. 24. l. 25. l. existere. p. 25. l. 6. l. condi-
tio. p. 26. l. 1. l. discordium. p. 28. l. 27. Vincor. p. 30. l.
28. l. inquit. p. 31. l. 6. l. pudicitia. p. 31. l. 16. l. in podo-
rem.